

Pergamena 2

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Pergamena 2

1284

+ Anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo octogesimo quarto, regnante domino nostro Karulo, Dei gratia invictissimo rege Ierusalem, Sicilie, ducatus Apulie, principatus Capue, Alme Urbis senatore, principe Achaie, Andegavie, Provincie, Forcalquerii [ac Pedimontis comite], regnorum eius Ierusalem anno octavo, Sicilie vero vicesimo, feliciter amen. Die lune, octavo mensis [... duodecime] indictionis, nos Nicolaus de Muro, regius iudex Potentie, Iohannes de Gunella, puplicus eiusdem terre [notarius et testes] licterati de eadem terra ad hoc specialiter vocati atque rogati, presenti scripto puplico fatemur, quod, ad rogatum Bernardi et Riccardi, filiorum quondam et heredum Sire Pascalis de domino Fulcone, civium et habitatorum Potentie, ad domum in qua dudum habitabat dictus quondam Sire Pascalis, una cum eisdem heredibus nos personaliter conferentes invenimus in eadem domo presentem dominam Supriniam, uxorem quondam dicti Sire Pascalis, cui predicti Bernardus et Riccardus nobis presentibus et videntibus tradiderunt et assignaverunt domum predictam cum casale uno eidem domui contiguo, sitam in civitate Potentie, in vicinio ecclesie Sancti Andree, videlicet: prope domum que quondam fuit iudicis Rogerii de Hermagno et prope domum que fuit quondam cantoris Manfridi et si qui alii sunt confines. Et eandem dominam Supriniam de predictis domo et casale in corporalem possessionem induxerunt pro unciis auri quatuordecim et tarenis viginti quinque. Quos et quas dixerunt dicti heredes predictum Sire Pascalem, communem patrem eorum confessum fuisse in ultimis vite sue se recepissee et habuisse integraliter a predicta domina Suprinia vel ab aliquo alio pro parte sua, tempore contractus matrimoni inter eos. Quarum

domum cum casile predicto dicta domina Suprinia recipiens ab heredibus supradictis habuit se contentam et solutam de tota predicta pecunie quantitate. Ad cuius rei memoriam perpetuam faciendam, tam ad cautelam predictorum heredum quam domine Suprinie supradicte, ad petitionem ipsorum, presens puplicum instrumentum exinde factum est per manus mei predicti Iohannis de Gunella, puplici Potentie notarii, signo meo solito subscriplione mei qui supra iudicis et nostrum qui interfuimus testium subscriptionibus roboratum.

+ Ego Nicolaus de Muro, regius iudex Potentie qui supra.
+ Ego Rao Saliens interfui. + Ego Gilibertus Cumbus, medicus, testis sum. + Ego Iacobus de Comestabulo interfui. + Ego Leonardus Strambus interfui.